uel prepositus prelatus fidelis. Zelus emulatio. id est amor uel studium uel imitatio uel inuidia. Zelotipia aliene uxoris uiolatio. Zizania fermentum.

Prudentia est rerum bonarum et malarum utrarumque scientia. Partes eius sunt memoria intelligentia prudentia. Memoria est per quam animus repetit illa que fuerunt. Intelligentia per quam ea perspicit que sunt. Prudentia per quam uidetur aliquid antequam factum sit.

Iusticia est habitus animi communi utilitate seruata suam cuique tribuens dignitatem. Naturalis iusticia est quod non opinio genuit sed quedam innata uis inseruit.

Religio est que superioris cuiusdam nature quam diuinam uocant curam cerimoniamque affert. Pietas per quam sanguine coniunctis patrieque beniuolis officium et diligens cultus tribuitur. Ueritas est per quam inmutata ea que sunt aut fuerunt aut futura sunt dicuntur. Patientia est honestatis aut utilitatis causa rerum arduarum et difficilium uoluntaria et diuturna perpessio. Perseuerantia est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio. Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus firma et moderata dominatio. Continentia est per quam cupiditas consilii gubernatione regitur.

Modestia est per quam pudor honestus caram et stabilem comparat auctoritatem. Sapientia est diuinitatis subtilis contemplatio. ac rerum que semper eodem modo sunt perfecta cognitio. ueritatis comprehensio. Intellectus est rerum existentium uere firma perceptio. Constantia est in rebus agressis continua perseuerantia. Tolerantia est honestatis et utilitatis causa quodlibet difficile pati. Firmitas uix aut minime a cepto dissolui. Modestia est modum tenere et modicum estimare in quolibet habere.

Abstinentia est semper ab illicitis et interdum a licitis alicuius animi refrenatio. Honestas est morum et corporum cultura diligens. Moderatio est dicti uel facti obtemperantia.

Parcitas est necessariis non abuti sed de futuro prouidere. Sobrietas est cibi potusque temperies.

Pudicicia est corporis casti custodia.

Innocentia est tocius mali abstinentia.

Amicicia est usus consimilis uite pio ac fideli amore coniunctus. Uel amicicia est studium uirtutum cum alicuius pari uoluntate.

Concordia est eadem multorum beniuolentia.

Religio est superos et maiores uenerari.

Affectus studium est pietatis. Humanitas ut quod tibi non uis fieri alio non facias.

Ratiocinatio est diligens et considerata aliquid faciendi uel non faciendi excogitatio. Pactum est quod inter aliquos conuenit. quod ita iustum putatur ut iure prestari dicatur.